



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 1. Vtrùm in quolibet casu Sacerdos teneatur celare, quæ sub sigillo
confessionis accepit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Q V Æ S T I O X I.

De sigillo Confessionis.

ARTICVLVS I.

Virum in quolibet casu Sacerdos teneatur celare, qua sub sigillo confessionis accepit?

Respondeo Affirmatiuè. Ita sentiunt omnes Doctores, excepto Gabriele dist. 21. quæst. vnica, qui putat saltem ob periculum mortis posse reuelari: Quia, inquit, neque preceptum positivum secreti, neque naturale secreti obligat cum tanto dispendio. Imò extendit hoc ad periculum fame & fortunarum.

Sed est error. Confirmatur ex Gregorio, Canone Sacerdos, de Pœnitentiâ dist. 6. vbi dicitur, Ob nullum scandalum id licere, id est, ob nullum malum vitandum, quod inde potest sequi. Vide Nauarrum in illum Canonem, nu. 130. & deinceps.

DVBIVM I.

Quo iure teneamur in omni casu hoc secretum seruare?

NOtandum: Vario iure teneri Sacerdotem ad hoc secretum. Primò, iure naturali secreti, quo tenemur secreta nobis commissa celare, propter infamiam, vel alia incommoda, quæ ex reuelatione possunt sequi. Sed hoc ius non obligat, quando reuelatio necessaria est ad aliquod graue malum auerendum: vt, ad impediendum homicidium vel proditorem.

Secundò, Tenetur iure naturali Religionis, quatenus obligatur nihil facere contra reuerentiâ debitam huic Sacramento, cuius dignitas postulat secretum, eò quòd id, quod in eo dicitur, Deo dicitur; & quia aliqui redderetur exolum. Sed hæc obligatio, quatenus est iuris naturæ, non habet vim in omni casu, sicut nec obligatio secreti iuramento consignati; quamuis in hoc etiam sit duplex obligatio, scilicet secreti naturalis & iuramenti. Verùm vt hoc in aliquo casu potest aperriri sine violatione naturalis obligationis iuramenti, quando nimirum esset in perniciem publicam, vel priuatam alicuius; ita etiam poterit istud secretum confessionis sine iniuria Sacramenti aperriri, quando similis casus vrget. Nam reuerentia, iure naturæ debita huic Sacramento, non postulat, vt secretum seruetur, quando pœnitens machinatur malum in alterius perniciem: sicut reuerentia naturaliter debita Eucharistiæ non postulat, vt species in omni casu sumantur. Neque inde sequitur propinquum aliquod periculû contemptus vel odij confessionis, sicut nec iuramenti. Quia rationi consentaneum est, vt non seruetur secretum, quod malignitas committentis intendit in alterius graue incòmodum. Vnde Dominus sine dubio potuisset illud permittere sine vlla huius Sacramenti iniuria.

Tertiò, Tenetur Sacerdos iure Ecclesiastico positiuo. Patet Canone Sacerdos, de Pœnitentiâ

dist. 6. vbi Gregorius id præcipit sub pœnâ depositionis, & perpetuæ peregrinationis. Et Concilium Lateranense idem præcipit sub pœnâ inclusionis in arctum monasterium ad perpetuam pœnitentiam. Sed his locis non conditur nouum ius, quo id præcipiatur, sed explicatur dumtaxat obligatio antiqua, additâ nouâ pœnâ.

Ex his sequitur, Hanc arctissimam obligationem, qua Sacerdos in omni euentu tenetur hoc secretum, confessione Sacramentali veluti quòdam sigillo consignatum, seruare; ortam esse ex iure diuino positiuo, quo Dominus hoc Sacramentum instruens, Apostolisque tradens, sic statuit seruari (in reuerentiam huius iudicij, in quo pœnitens loquitur Sacerdoti tanquam Deo, & Sacerdos tanquam Deus absoluit & iudicat:) idque eò fine vt iugum confessionis fidelibus esset suauius, ipsique liberius & sine vllò metu sese Sacerdoti, tanquam Deo aperirent. Vide Scotum distinct. 21. Nauarrum cap. 8. num. 2. Medinam quæst. 45.

Confirmatur: Quia nisi id ita in omni casu statutum fuisset iure diuino positiuo, sed relictum soli iuri naturali, periculum fuisset; ne confessio sensim redderetur exosa; itaque aditus ad remissionem peccatorum præcluderetur: quod sanè maius malum est, quàm amissio vitæ Sacerdotis, aut Reipublicæ proditio. Quòd autem tale periculum fuisset, ex eo patet, quòd iure naturæ in multis casibus licuisset illa secreta patefacere, sicuti & secreta iuramento confirmata. Vnde ad tanti mali periculum excludendum meritò Dominus in omni casu voluit hoc secretum seruari.

Simile videmus in iure humano: Dux enim potest præscribere militi excubias certo loco, etiamsi periculum mortis ibi imminet, quia maius malum est interitus Reipublicæ, cui imminet aliquod periculum, quàm mors vnus hominis. Pari ratione potuit fieri statutum in Ordine Carthusianorum obligans ad perpetuam carniû abstinentiam, etiamsi mors inde alicui citius esset obventura: nam relaxatio abstinentiæ, cuius erat aliquod periculum, maius malum est, quàm paucorum vitam accidi.

Ex dictis sequitur Primò: Si maritus adulteræ aggrediretur Sacerdotem stricto ense, cui vxor peccatum suum est confessa, volens scire an ipse sciat de adulterio, vel audierit, vel vxor sit ei confessa, non posse illud reuelare, sed potius debere mortem perpeti. Potest autem in tali casu dicere, se nescire quidquam nec quidquam de tali peccato vxoris, audiuisset; idque iuramento confirmare. Ratio est; Quia non nouit, vt homo, seu vt pars Reipublicæ Politicæ, vt possit illud reuelare; sed nouit vt Deus, id est, vt locum Dei tenens: quomodo Christus dicit *se non nosse diem Iudicij*, Marci 13. Eademque est ratio, si interrogetur à Iudice. Non tamen posset dicere, Se non audiuisset in confessione, vel vxorem hoc non esse confessam: nam hoc simpliciter falsum est; nisi adhibeat restrictionem mente, scilicet, vt possint illud reuelare. Vide Nauarrum num. 19.

Yyy Sequitur

1. Affirmatur contra Gabrielicam.

2. Tenetur Sacerdos ad hoc secretum.

3. Iure naturali secreti.

4. Iure naturali Religionis.

5. Iure Ecclesiastico positiuo.

3. 4. & arctissima iure diuino positiuo.

Confirmatur à simili in humanis.

Confessaria.

Confessor potius eligat occidi, quàm reuelare confessionem.

Alterius confessionem in sua aperire non potest.

Sequitur Secundò: Sacerdotem non posse in confessione sua aperire peccati, quod alijs ei confessus est: quod est contra Gabrielem & Dom. Sotum. Sed est certa sententia, & communis. Ratio est, quia integritas confessionis non est servanda tam strictè, quàm hoc secretum: nam multis casibus licet non integrè confiteri, vt supra qu. 9. art. 2. dub. 1. dictum est: non tamen licet secretum confessionis patefacere.

Post absolutionem ne quidem ipsum penitentem moneat.

Sequitur Tertio: Confessarius post absolutionem, non posse amplius de peccatis confessis penitentem, sine eius venia, rogare aut mone: quia iudicium illud iam transactum est. Potest tamen Confessarius in confessione posteriore penitentem interrogare de peccatis confessionis prioris: quia verfat in eodem foro.

DVBIVM II.

Utrum Sacerdos extra confessionem possit interdum vti scientiâ ex confessione parati salutem ad gubernationem?

Afirmatiua sententia est fere omnium, & illustratur.

Respondent fere omnes Doctores, posse modo id ita circumspectè fiat, vt nec directè, nec indirectè moueatur alijs suspicio, aliqua peccati penitentis; & alioqui immineret penitenti, vel alteri magnam aliquod periculum.

Explicatur Primò: Si Superior ex confessione cognoscat penitentem esse omnino ineptum ad officium quod gerit, vel etiam perniciosè administrare, potest eum postea officio priuare, si ad nutum auferri potest: secus verò, si officium est perpetuum, vel definiti temporis.

Secundò: Si agatur de electione, possum negare meum suffragium, presertim secretum, ei, quem ex confessione cognoui indignum.

Tertio: Si habeam famulum furem, idque ex confessione cognoui, possum ei non credere pecunias, vel etiam à me dimittere, modo aliam iustam causam possum prætere.

Verum contraria sententia est valde consentanea dignitati huius iudicij: decet enim, vt eâ scientiâ, quâ accepit in illo secretissimo tribunalij, vbi penitens illi tanquam Deo loquitur, nõ vtatur extra illud tribunal ad rerum humanarum directionem. In hanc sententiam inclinat Henricus Quodl. 8. qu. 29. & 31. Et confirmatur: quia vti hâc scientiâ in opere externo, est secretum confessionis per effectum suum patefacere. Neque satis esse videtur, quòd hoc non possit ab alijs animaduerti; quia saltem nõ retinetur in animo occultu. Accedit; quòd sic maior erit libertas penitentibus, qui alioquin sepe non audebunt se aperire, metuentes aliquod incommodu ex vsu eius scientiæ. Vnde patet non deesse rationem, cur id ita à Christo posset præcipi. An autè reipsa præceperit, non satis constat. Certè Clemens VIII. A. 1592. die 26. Maij edidit decretum, quo præcipit Superioribus Regularium, vt diligentissimè caueant, ne eâ notitiâ, quam in confessione de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Aliquando superiores tenentur vti eâ scientiâ.

Posset tamen incidere casus, in quo Superiores eâ scientiâ tenerentur vti: quia contraria sententia est probabilis. Nec Ius humanum potest efficere, vt sententiâ probabilis non possim vti, quando id necessarium est ad ingens malum impediendum. Vide D. Thomam hic ad 1. & 4.

ARTICVLVS II.

Quenam cadant sub sigillum confessionis?

Respondet & Dico Primò: Directè sub hoc sigillum cadunt omnia peccata mortifera in genere, & in specie; & omnia venialia in specie: indirectè verò omnia ea, quæ possunt ducere in notitiam peccati penitentis. Est certa, & communis Doctorum, Ratio est: quia quicquid est materia confessionis, id omne per sanctitatem huius Sacramenti veluti consignatur, ne possit reuelari; & consequenter omne id, vade peccatum penitentis posset coniectari.

Omne peccatum, & omne indicens in eius cognitione cadit sub sigillum.

Hinc colliguntur varij casus, vt videre est apud Nauarrum. Primò: Violari hoc secretum, si quis dicat, *Iste mihi confessus est mendacium in eo sum; vel animi distractionem; &c.* Imò id esset peccatum mortiferum. Neque leuitas materia excusât, vt rectè Nauarrus, Sotus, & alij docent: quia fit horribilis iniuria huic sacro sigillo; sicut in iuramento assertorio leuitas materia non excusât. Nò tamen violat sigillum, qui dicit in genere, *Iste mihi confessus est peccata venialia*; nam per ipsam absolutionem, hoc implicite dicit.

Calus vana, quibus violatur sigillum.

Secundò, Esset contra sigillum, si peccatum tertia persona, quod penitens confitendo explicuit, aperiret. Ratio est: quia hoc etiam sub sigillum cadit, quando à penitente tanquam circumstantia sui peccati refertur: secus verò, si omnino impertinens sit ad peccatum penitentis, & non dicatur vt circumstantia.

Tertio, Violari sigillum, si quis dicat, *In tali monasterio, vbi confessiones audiui, sunt multa peccata*: nam est persona non exprimat in particulari, tamen exprimit communitatem, quæ non ita magna est, quin de multis possit haberi suspicio in particulari. Secus, si quis dicat, *In tali ciuitate aut regno*: quamuis & hoc malè dicatur, presertim de ciuitate.

Quartò, Est Ioannes Medina q. 47. & Adrianus qu. vlt. de Confessione, putent licitum dicere de peccatore publico, *Hic mihi confessus est sua publica peccata*, verius tamen videtur, non licere; vt docet Nauarrus in Capit. Sacerdos, num. 62. Tamen est non reuelat peccata absolute, reuelat tamen secretum confessionis, seu peccata, quatenus in confessione sunt detecta. Videtur tamen non esse mortiferum: nam hoc ipso, quo illum absoluit, implicite testari videtur, illu sua publica peccata confessum, quamuis non necessariò hoc indicet.

Quintò, Violat sigillum, qui dicit, *Iste mihi est confessus, sed eum non absolui*, quicquid dicat Caietanus: quia vix vnquam absolutio negatur, nisi ob impenitentiam, vel casum referuatum.

Dico Secundò: Defectus naturales, & aliæ imperfectiones, quæ neque sunt peccata penitentis, neque peccatoru circumstantia, non cadunt proprie sub obligatione huius secreti. Ratio est: quia horum narratio facta à penitente in confessione, nullo modo pertinet ad confessionem, seu ad iudicium huius tribunalis; sed est illi merè extrinseca: ergo confessionis secretum nõ consignat ea. Tenetur tamen Sacerdos iure naturali secreti, & ad vitandum scandalum, hæc tacita tenere.

Defectus naturales & similia non cadunt sub sigillo.

DVBIVM.